Sebastianus

Dembinski ~~Joannes~~ Tristes phalaeci in ~~funere~~ Sebastiani Nucerini S. T. D. etc.

Crac. ex off. Franc. Caesarii

TRISTES PHALEUCI,

IN FUNERE

Admodum Rndi Domini

SEBASTIANI NUCERINI,

S. T. D. Canonici Sandomirieñ. & Scarbimirieñ. Ordinarij Ecclesiæ Cathedralis Crac. CONCIONATORIS,

Illustri, ac Magnifico Domino

FRANCISCO á DEMBIANI DEMBINSKI, Aulico S. R. M.

A

Joanne Dembinski, Filio mæstiss. piæ memoriæ causâ cum lachrymis fusi.

CRACOVIAE, Ex Officina Francisci Cæsarij.

D. GREGORIVS NAZIANZENVS,

In Oratione Funebri Magni BASILII.

DEcumbebat Vir, Spiritumque trahebat nouiſſimum, & à ſuperno quærebatur choro, ad quē iam pridem reſpiciebat: confluebat autem, ad eum ciuitas vniuerſa, minimè damnum ferens, peregrinationemque illius tanquam tyrannum incuſabat, ac animam eius quaſi manibus, vel precibus cogi poſſet, retinere ſatagebat. Si quidem calamitas ea homines, quaſi deſipientes reddebat, & vnus quiſque aliquid de propria vita, ſi poſſibile fuiſſet, illi impartiri paratus fuerat. Poſtquam autem ſuperati ſunt (neceſſe enim erat vt oſtenderetur quod homo eſſet, & ipſe in manus tuas Domine Spiritum meum repono, Angelis dixit nouiſſimè abducentibus) non inſuauiter expirauit; præſentesque ſacris quibuſdam inſtruxit, ac meliores extremis reddidit mandatis.

Triſtes

TRISTES PHALEVCI.

CArmen triſte nimis, modosq́ triſtes,
Et ſuſpiria, turbidosq́ luctus,
Et ſingultibus impedita verba,
Phaleucosq́ Tibi ſeueriores,
O dulciſſime nunc Parens repono.
Sed heu munus in hoc manum tenacem
Negaſſem, atq́ aliâ pios probaſſem
Affectus ratione. Noſter ille
Mellitiſſimus innocentiorum
Prudentiſſimus eloquentiorum
Diſertiſſimus integerrimorum
Oratorum, obijt SEBASTIANVS
NVCERINVS. amor meus, meumq́
Inter delicium laborioſas
Muſas. Currite, currite, ô potenter
Meis lachrymulæ piæ ex ocellis,
Magno cum impete currite, & viciſſim
Vim vibrate doloris inquietis,
Parentemq́ animi mei fidelem
Qui me fonte ſacro leuauit, & qui
Permulſit teneram admonitione

Ætatem solidâ, bonisq́ dictis,
Luctu concelebrate tristiori.
Ah quis diuitias venustiores
Senis commemoret modestioris,
Cum linguâ daret eloquentiori
Vitæ dogmata sanctioris, & cum
Diuinâ excuteret piacla lege,
Vt non condoleat? grauesq́ corde
Deducat gemitus? Fuit, fuit (quod
Omnis vox populi fatetur) ille
Oratorum anima elegantiorum,
Præses mellifluusq́ Concionum,
Mystarumq́ decus grauissimorum;
Nestor Sarmaticus rotundi vt oris
Possit dicier. Ille non popelli
Ad fluxi varium suos palatum
Sensus insinuabat; impotentis
Fastus crimina sed probo solebat
Vero radere. Nil hiulcum, ineptum,
Nil ignobile, dissonum, ociosum,
Vanum, dissimulans, molestum, acerbum
Fluxis antithetis locutus vnquam est.

Ergo

Ergo dogma dabat breue, eruditum,
Sanum, perſpicuum, fidele, amænum,
Et conſtans imitatione doctâ,
Quam nec Zoilus improbaſſet audax,
Seu magni ingenij ſagacitatem,
Seu morum excuteret ſúàuitatem,
Seu pectus niueo colore tinctum,
Seu vim compoſitam elocutionis.
Os, frontem, faciem, manus, ocellos,
Ad plenam grauitatis actionem
Formabat ſine fictione triſti,
Et ſupercilio ſeueriore,
Spectatorem etiam vt tacens moueret
Ad virtutis opus laborioſum:
PAVLI ſiue docentis, è Cathedra,
Senſus promeret expeditiores,
Quos felix nimium in ſereniore
Hauſit verticis ignei Corona:
Seu Vim, quam æthereâ ſubinde fundit
Pathmos ACCOLA perbeatus aurâ:
Seu Nectar nitidum, fauosq́ dulces,
Quos culta AMBROSII Minerua porgit:

 Seu

Seu puros Zephyros, Fauoniosq;
Quos HIERONYMVS æstuante spirat
Orbi pectore: seu profunde acumen
AVGVSTINE tuum explicaret: alti
Seu pondus BASILI, Atticamq́ Suadam:
Seu CHRISOSTOMI opes amæniores:
Seu BERNARDE melos tui leporis.
Quo se cunq́ daret Pater venustus,
Quem se verteret ille cunq́ in orbem,
Torquebat faciles, pios, acutos,
Sublimes, varios, graues, rotundos
Sensus, ingenio sagaciori:
Plauderent viri vt eruditiores,
Quod rarum genus eruditionis,
Quod pressum genus eruditionis,
Dulci promeret impetu loquendi,
Raro promeret impetu loquendi,
Qualem Cecropiæ probant Athenæ:
Gauderentq́ etiam imperitiores,
Se comprendere sensa acutiora,
Se comprendere sensa rariora,
Quæ vitæ magis conferant ad vsum.

Traxit carminibus suis opacas
Syluas: & iuga montium comata,
Vndarum & domuit rapacitatem
Orphêus: sed superauit hunc venustus
Facundus, facilis, celer, rotundus,
Sublimisq; pater SEBASTIANVS
NVCERINVS. Erant sonantiora
Ad mendacia, fabulasq; inanes
Jlla, quæ vetus approbauit ætas:
At nos auribus hisce perbeatas
Hausimus Veneresq;, Gratiasq;,
Quas senex lepidus, probus, disertus,
Iucundus, venerandus, eruditus
Aptâ detonuit süauitate:
Dum pacare hominum potens furores,
Et lenes iterum incitare mentes,
Turbas, ad pietatis officinam,
Vocaret numeris Isocrateis:
Est vsus quibus ipse cum Quirites
Blandis flectere vocibus volebat
Fandi Tullius optimus magister
Linguæ gloria Tullius Latinæ.

Quid

Quid quod Tullius eloquens Quirites
Linguâ mulserat, at nisi Latinâ:
Pericles potuit tonare quondam,
At tantum tonuit suis Athenis:
Natus Sarmata frigidum ad Bootem
Hausit delitias benignioris
Cœli: posset vt eminentiore
Suadella tonuisse, tàm Latinis,
Quàm (vt quidem tonuit) suis Polonis,
Et linguæ geminas tenere laudes,
Et linguæ geminam perennitatem.
Ægyptum penetrauit vsq; in imam
Magnus Phythagoras, Platoq; magnus,
Et venit Scythico gelu relicto
Athenas Anacharsis eloquentes:
Vidit Italiam feraciorem
Bonis ingeniis SEBASTIANVS,
Doctrinam vt faceret suam auctiorem.
Vos Nymphæ rogo quotquot hinc, & inde,
Vandali vitreas tenetis vndas,
An vitâ magis integra, & pudica?
An linguâ magis eruditiore?

An

An Suadâ magis elegantiore?
An doctaq́ grauiq́ ſcriptione?
NESTOR ille meus, meusq́ PHÆNIX,
In hac, vicerit eloquentiores,
In hac, vicerit eruditiores,
In hac, vicerit elegantiores
Aſſuetudine, Sarmatas! Habebunt
Quem æternum recolant pij Nepotes,
Quem luſtrent imitatione morum,
Quem Candore bono, innocentiâq́
Et quem Commiſeratione cautâ,
Et Zelo pietatis expeditæ
Commendent! tamen ille (proh) dolorem
In noſtris animis acerbiorem
Fixit, dum in numerum beatiorem
Iſſet, Cælicolarum amæniorum
Hoſpes magnanimus, amabilisq́
Iſtis compagibus ſolutus. Ergo
Carmen triſte nimis, modosq́ triſtes,
Et ſuſpiria, turbidosq́ luctus,
Et ſingultibus impedita verba
Phaleucosq́ tibi ſeueriores
O dulciſſime nunc Parens repono.

AD SVGGESTVM.

ILla tanquam cygnea fuit, diuini hominis vox & Oratio, quam quasi expectantes, post eius interitum veniebamus in Curiam, vt vestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset contueremur. Cic. 3. de Orat. de Crasso Orat.

Eheu delitium piæ Coronæ,
Eheu præsidium decusq́ templi,
Eheu culta palestra Concionum,
Vocis Iustitium disertioris
Vt nunc percolis, in silentioq́
Persistis rigido, vt simul sacerdos
Vt verbi arbiter eloquentioris
Sanctarum vt tuba magna Concionum
Nobis conticuit, nec eloquentis
Nec docti pretium obtines laboris,
Ingratamq́ fateris orbitatem,
Molestamq́ fateris orbitatem,
Et mî materiam doloris offers?
Quis doctos apices Sacræ paginæ
Exprompsit meliusq́ digniusq́?

Spiritu

Spiritu, ingenio, eruditione,
Vitâ, moribus, innocentiâq́?
Demorsum sapiebat vnguem, & altæ
Noctis Concio lucubrationem, &
Lucernas vigiles, silentiumq́
Profundum, & pluteum laboriosum:
Non vanum strepitum, nugasq́ sannæ
Mordacis, tumidosq́ Spiritus: Non
Lusco dicere lusce, veri amicus
Vnquam exhorruit, vt saliuam in ore
Parco Mercurialem, amæniore
Solers sorbitione glutijsset,
Anginamque, bouemque pinguiorem,
Ipse palpo sui, à popello hianti
Rasisset; grauis innocensq́ frustra.
Disertissima Suada Concionum,
Sancta magnanimi medulla verbi,
O & præsidium piæ Cathedræ,
O & delitium frequentis aulæ
O & delitium pij Senatus
O & arbiter ingenî potentis,
NVCERINE siles? Dolemus omnes.

 In monu-

IN MONVMENTA CONCIONVM.

QVid lucem fugitis sereniorem
Quid lucem fugitis remissiorem
Sanctarum monumenta Concionum?
Doctarum monumenta concionum?
Magnarum monumenta Concionum?
Mens quæ purior approbauit, atq;
Docto pollice lustra quinq; pressit?
Mens quæ Sanctior expeditiori
Effinxit meditatione nobis?
Possitis neq; quo videre lucem
Ornatu, ac mage quo videre fructu
Laborate: satis liber placebit
Qui prodesse potest. Habet serenam
Iam lucem Dominus laboriosus,
Quid vos his latitatis in tenebris?
Sanctarum monumenta Concionum?
Doctarum monumenta Concionum?
Vulgi vos manibus volo teneri
Vulgi vos volo mentibus recondi.

Nullam

Nullam sentiet esuritionem
Qui vos legerit æquiore mente.
Istis non modo qui potente lingua
Nostri temporis inter eloquentes
Clarum nomen habere concupiscunt
Hinc vt verba loqui diserta discant
Hic magno liber vsui est futurus:
Sed doctis quoq; cæteris vt acre
De scriptoribus optimè legendis
Olim iudicium, & peracri aceto
Tinctas auriculasque consequantur.
Doctorum tamen vt liber volabit
Et per pulpita, & ora per virorum,
Magnas diuitias vbiq; fundet:
At tandem memori suo clienti
Heu quot millia lachrymationum
Heu quod mî dabit anxios dolores!
Audire hanc volui & videre vocem,
Et non legere mortua in pagina.

Ad Perillustrem & Adm̄. Rend. D.

D. IOANNEM FOXIVM,
I. V. D. Archidiaconum Ecclesiæ Catedr. Crac.
Protonotarium Apostolicum &c. &c.

ET

Admodum Rēd. D.

ADAMVM OPATOVIVM,
S. T. D. Decanum S. Annæ.

ET

Excellentiss. Dominum

IACOBVM VITELLIVM
Oratorem Tylicianum Canonicum S. Annæ.
Prouisorem Schol: Nouodwor.

Executores vltimæ Voluntatis pro ijsdem monumentis Concionum.

MAgnum quod video & laboriosum
Doctæ mentis opus, manusque doctæ
Viuat posteritati amæniori.
Hæc nam sunt monumenta Concionum,
Magnæ lumina lucubrationis,
Multæ lumina Scriptionis, omne
Quæ dixit, docuit, parauit æuum, Per-

Perſanctæ olim imitationis ergo,
In magna populi, & Patrum Corona,
ORATOR BONVS, & bonus SACERDOS.
His Suada & pietas ſuas recondit
Libris diuitias: Apollo doctus
Affectus gemini, Sacratiora
Mella hic, ambroſiamque dulciorem
Et nectar liquidum aureæ Mineruæ
Stillauit, melioribus Camænis
Arridentibus. Ergo luce tandem
Recreate boni, pios labores
PATRONI, hoc Spolium eruditionis
Vt ſaletm teneamus expetiæ,
Viuis cum careamus aurei oris
Orbi delitijs, piaque voce.
Laudes non negat ille quas reliquit
Et quas ipſe ſuo dedit Tonanti:
Saltim Echo maneat loquatiore
Quæ reddat ſonitum angulos in omnes
Vmbrâ, terreat improboſque mores
Ardenti ſimul elocutione.
Monſtrorum domitor, vagum duello
Qui preſſit ſcelerum gregem, horridamque

Secli

Secli barbariem, impioſque mores
Alcides, etiam locatus inter
Hoſpes ſydera, liquit arma terris,
Criſtatam galeam, & leuem Sariſſam,
Quâ Bellona trucem impedire frontem
Quâ fulcire manum Minerua poſſet.
O ergo decus, hæc refigat arma
Ad templi, & rigido vagam duello
Hæreſim opprimat, impioſque mores
Alcides nouus, & iubar Polonum
Monſtrorum domitorque NVCERINVS,
Ore, & pectore qui eruditiora
Affectu gemino, & ſacratiora
Fudit fulmina. O laborioſum
Album, faſciculique, ſchædulæque,
Membranæque, apiceſque, origineſque,
O Volumina vaſta litterarum!
In quibus loquitur, canitque nobis,
Olor dulciſonus ſibi ſuperſtes,
Phœnix ille meus ſibi ſuperſtes,
Cadmus ille meus ſibi ſuperſtes.
O pulchram nimium, & piam papyrum:
Sed quam ſæpe meus liquor rigabit.

AD SOLEM
Et
SYDERA.

DVlces excubiæ poli coruſci,
Fixæ lampades atrijs beatis,
O noctis choreæ, faceſque mundi,
In me ſepoſitum nimis doloſam
Eccur tam ſubito ferocitatem
Vibraſtis? tenebris nigreſco totus,
Mæſtis mordeor, obruorque curis,
Nil eſt me aridiuſque fractiuſque
Cur his è regionibus vocaſtis,
Heu quem plus oculis amo, atque amaui,
Veſtrum ad hoſpitium, hoſpitem hoſpitalem,
Et mihi tenebras ſeueriores
Offudiſtis? amæniorem & auram
Subtraxtis? niueam ſerenitatem
Quanquam ſufficiatis his in oris
Per vrbes, per agros, per anguloſque,
Autumni ſociâ benignitate:
Me ſquallor tamen, illubenſque nimbus,

Et atræ tenebræ præocuparunt,
Non lucet mea lux, meuſque Phæbus.
Sublatus mihi NVCERINVS, ille
Præſtans arbiter eruditionis,
Præſtans arbiter elocutionis,
Phæbus ille meus, iubarque ſplendens.
Non lucet mea lux meusque Phæbus.
Quid turbæ fauor imperitioris?
Quid vires animique corporisque?
Virtutis quid amor? quid ars? quid ætas?
Quid robur valet ingenî ſâgacis?
Quid moreſque valent modeſtiores?
Quid candor pius? innocentiâque?
In mundo patulo nihil videmus
Vſquam perpetuum, nihilque conſtans.
Ereptus mihi NVCERINVS, eheu
Non lucet mea lux, meusque Phæbus.
Cor depaſcitùr inſolente flammâ
Nec morbum queo celitare noſtrum,
In genas mihi pallor inuolauit,
Extinctus mihi NVCERINVS. Eheû
Non lucet mea lux, meuſque Phæbus.
Ite, ite in lachrymas, pioſque fletus

San-

Sancti Cælicolæ, cohors beata,
Onoctis choreæ venustioris,
O mundi Comites, satellitesque,
Orbis lumina apertioris; & tu
O Lunæ tenerum iubar recentis,
Et tu flammiuome imperator æthræ
Circulator opum benigniorum,
Lustratorque dierum amæniorum,
Metatorque poli serenioris,
Mecum amabo meum dolete Solem.
Fletus ingeminate tristiores.
Fletus ingeminate iustiores.
O Vita, ô mea vita, mel, voluptas,
O desiderium meum, ô meum cor,
Quando cernere te licebit! Eheu
Me non plura sinit dolor referre
Non lucet mea lux, meusque Phæbus.

IN MORTEM.

VT mens ignea, temperatioris
Senis, delitias poli nitentis
Sublimi meditatione coxit,

Serpit debilitas per omne corpus,
Et ſuſpiria crebrius trahuntur.
Hoc videns Lacheſis, proculque ſpectans,
Non audet propius gradum admouere,
Aſpectu grauiore cogitantis
Senis territa: ſed crebrum Soporem,
Sed tandemque tumorem acerbiorem
Immittit: meditationibusque
Se credit rapuiſſe tempus omne.
Et iam totus erat ſepultus omni
Senſus corpore, membra per quietem
Torpebant, ſimul & tumor premebat
Fractum, ſollicitum, laborioſum
Senem: cum ſubito ſerenus alto
Ales labitur, & ſolenne virgâ,
Tangit magnanimi ſenis profundam
Mentem, hæc nec mora deuolat Tonantis
Aſpectum in nitidum, ſerenam & auram.
Carcerem lea ſic ſeueriorem,
Libertatis amans amænioris,
Rumpit: purpurei ſenis parata
Sic mens inſilujt chorum in beatum.